

cundaria imperfecto duo : quodque illa omnes anguli species habent, Cubus rectum, Pyramis acutum, Dodecaedrum obtusum: haec verò ambo in obtusi solius genere versantur. Et Octaedri quidem angulus per omnes tres species vagatur, in iunctura laterum obtusus: inter coeuntia duo latera ex opposito, rectus: ipse verò solidus, acutus. Cum igitur manifestum esset discriminem inter corpora, conuenientius fieri nihil potuit, quam ut Tellus nostra, totius mundi summa & compendium, atque adeo dignissima stellarum mobilium, orbe suo inter dictos ordines distingueret, locumq; eum sortiretur, quem ipsi superius attribuimus.

## C A P V T I I I I .

*Quare tria corpora terram ambiant, duo reliqua induant?*



A T E R E nunc, Lector æquanime, vt ludam aliquantis per in re seria, & non nihil Allegorijs indulgem. Etenim existimo ex amore Dei in hominem causas rerum in mundo plurimas deduci posse. Certè equidem nemo negabit, in domicilio mundi exornando Deum ad incolam futurum identidem respexisse. Finis enim & mundi & omnis Creationis Homo est. Terram igitur, quæ genuinam Creatoris imaginem datura & alitura esset, existimo dignam à Deo censitam, quæ circumiret inter medios planetas sic, vt totidem illa haberet intra orbis sui complexum, quot extra habitura esset. Ut hoc Deus obtineret, Solem reliquis quinque Stellis accensuit, quamuis ille toto genere dispareret. Idque eò magis consonum videtur, quòd cum suprà Sol Dei patris imago fuerit, credibile est, hac associatione cum reliquis Stellis argumenta venturo colono præbere debuisse φιλανθρωπias, & ἀνθρωποπάθεias, quam Deus usurpatus erat erga homines, ad domesticam familiaritatem usque sese demittens. Nam in Veteri Testamento, frequenter in numerum hominum venit, & Abrahā amicus audire voluit: sicuti Solem videmus in numerum mobilium venire. Cum autem Sol à terra ambiretur: positis, quæ dicta sunt, necessariò ille ordo corporum intra terram includendus fuit, qui duo saltem complectitur:

D ;

tur: